

Undique episcopi, fidelium vota ad Sedem apostolicam deferentes, instantius flagitabant ut dogmaticè definiretur immaculatæ Matris Dei mirum et unicum privilegium, et interim postulabant et obtinebant ut in litanis Lauretanis liceret addere novam hanc invocationem: *Regina sine labe originali concepta, o. p. n.*, et in præfatione missæ de B. V. Conceptione vocem *Immaculatam*.

Quibus precibus satisfacere cupiens, Pius IX, Roma Cajetam « turbulentissima malorum procella » exul depulsus, 2 februarii 1849 ad episcopos totius catholici orbis epistolam encyclicam *Ubi primum* direxit, in qua legitur: « Optamus vehementer ut majore qua fieri potest celeritate nobis significare velitis qua devotione vester clerus populisque fidelis erga Immaculatæ Virginis Conceptionem sit animatus, et quo desiderio flagret ut ejusmodi res ab apostolica Sede decernatur, atque imprimis noscere vel maxime cupimus quod vos ipsi, venerabiles Fratres, pro eximia vestra sapientia de re ipsa sentiatis, quidque exoptetis. » Et iisdem litteris episcopis facultatem tribuit ut clero cujusque diocesis concedant recitationem novi officii de Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis quo jam clerus Romanus utitur, quin ejusmodi veniam a sancta Sede implorare debeant.

Sexcenti et sexaginta quinque episcopi sua testimonia et vota in responsionibus suis summo Pontifici significarunt. « Iidem, ut ait Pius IX in constitutione sua decretoria, incredibili quadam jucunditate, lætitia ac studio nobis rescribentes, non solum singularem suam et proprii cujusque cleri populique fidelis erga Immaculatam beatissimæ Virginis Conceptum pietatem mentemque denuo confirmarunt, verum etiam communi veluti voto a nobis exoptularunt ut Immaculata ipsius Virginis Conceptio supremo nostro judicio et auctoritate definiretur. » Aliqui tantum episcopi, et ii numero paucissimi, ut cæteri devotionem antiquissimam suarum ecclesiarum erga Immaculatam Virginem attestantes, et profitentes seipsos colere augustissimam Virginem ut Immaculatam et ab originali labe prorsus immunem, censebant, propter rerum præ-

sentium adjuncta, hanc veritatem nondum opportune tamquam de fide esse definiendam.

Tandem, collatis iterum consiliis cum centum nonaginta duobus cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis ex omnibus orbis catholici partibus convocatis et Romæ adstantibus, Pius IX, hoc amplissimo et præclaro senatu circumdatus, in ipso festo Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, anno 1854, promulgavit in basilica Vaticana constitutionem dogmaticam quæ incipit *Ineffabilis Deus*, quam, post uberrimam expositionem ipsius doctrinæ et enumerationem præcipuorum factorum quæ constantem devotionem populi christiani erga hoc mysterium demonstrant, sic concludebat:

« Ad honorem sanctæ et individue Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparæ, ad exaltationem fidei catholicæ et christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, declaramus, pronuntiamus et definimus, doctrinam quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque ideirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter, si qui secus ac a nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiæ defecisse, ac propterea facto ipso suo semet pœnis a jure statutis subicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint. »

Hoc decretum ubique incredibili lætitia fuit salutatum a fidelibus populis, qui cum episcopis suis definitionem publicantibus certatim clamabant: *Petrus per os Pii IX locutus est. Roma locuta est, causa finita est.*

2º *Probat*ur Scriptura sacra. *Gen.*, III, 14 et 15. Post lapsum Adami, homini promittens reparatorem et redempto-

rem ex nova Eva, id est ex Maria, nasciturum, ait Dominus ad serpentem...: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum.* SS. Patres unanimiter docuerunt hanc mulierem quæ contritura erat caput serpentis, seu diaboli, non aliam esse quam futuram matrem Redemptoris. Atqui, nisi B. Maria, mater Christi, in conceptione sua omnino a labe originalis peccati fuerit immunis, non vere contrivit ipsa caput serpentis, cujus e contra dominio primum subjecta est, ejus mancipium per aliquod tempus effecta. Ergo in sua conceptione fuit immaculata.

Post promissionem veniunt figuræ. Omnia quæ ad mysterium redemptionis generis humani pertinent debuerunt præfigurari, et congruebat ut inter symbola prophetica aliqua futuram matrem salvatoris nuntiarent et depingerent. Ergo sanctitas ejus conceptionis debuit symbolice exprimi. Et ita factum fuisse constat ex constitutione dogmatica *Ineffabilis Deus*, in qua figuræ antiquæ hujus mysterii non tantum enumerantur, sed secundum traditionem explicantur, hoc modo: « Nunc eximium singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem, ejusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem celestium omnium gratiarum, virtutum ac privilegiorum copiam et magnitudinem iidem Patres viderunt, tum in Arca Noe, quæ divinitus constituta, a communi totius mundi naufragio plene salva et incolumis evasit; tum in Scala illa quam de terra ad cælum usque pertingere vidit Jacob, cujus gradibus angeli Dei ascendebant et descendebant, cujusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in Rubo illo quem in loco sancto Moyses undique ardere ac inter crepitantes ignis flammæ non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit; tum in illa inexpugnabili Turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium; tum in Horto illo concluso qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca illa Dei Civitate cujus fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo illo Dei Templo quod divinis refulgens splendoribus, plenum

est gloria Domini; tum in aliis ejusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparæ dignitatem, ejusque illibatam innocentiam, et nulli unquam nævo obnoxiam sanctitatem insigniter pænuntiata fuisse Patres tradiderunt.

» Ad hanc eandem divinarum munerum veluti summam originaleque Virginis, de qua natus est Jesus, integritatem describendam, iidem Prophetarum adhibentes eloquia, non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt ac uti Columbam mundam et sanctam Jerusalem, et excelsam Dei Thronum, et Arcam sanctificationis, et Domum quam sibi æterna ædificabit sapientia, et Reginam illam quæ deliciis affluens et innixa super Dilectum suum, ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo et nullo unquam labis nævo maculata. »

Accedunt et hæc verba quæ in sacra liturgia Virgini applicantur, ut sanctitatem conceptionis ejus exprimentia: *Cantic.*, II, 2: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias; ibid.*, IV, 7: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te; ibid.*, VI, 9: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?*

Veteri Scripturæ concinit Evangelium, realitatem præfigurata describens. Maria, etiam ante consummationem mysterii incarnationis, salutatur ab angelo *gratia plena*, *Luc.*, I, 28, id est cumulata omnibus gratiis quibus Deus potest creaturam aliquam ditare: quæ plenitudo singularis sanctitatem conceptionis necessario includit, ut principium. Unde in bulla prædicta additur: « Cum vero ipsi Patres Ecclesiæque scriptores animo menteque reputarent beatissimam Virginem ab angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et jussu *gratia plenam* fuisse nuncupatam, docuerunt hæc singulari solemnique salutatione, nunquam alias audita, ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustum, adeo ut nunquam ma-

ledicto obnoxia et una cum Filio perpetuæ benedictionis particeps, ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.* »

Quid expressius desiderari posset in sacris eloquiis ad probandum autoritate divina conceptionem beatæ Virginis Mariæ fuisse omnino intemeratam et ab originali labe prorsus immunem?

3^o *Probatur* traditione. In immensum cresceret congeries testimoniorum, si, præter acta S. Sedis superius relata, transcribere tentaremus sive conciliorum particularium decreta, sive universitatum et scriptorum ecclesiasticorum professiones, sive SS. Patrum encomia, quæ affirmant, demonstrant et extollunt puritatem et sanctitatem Immaculatæ Virginis in ipsa sua Conceptione. Quædam breviter indicare sufficiat.

Omnes synodi provinciales sæculi currentis huic doctrinæ adhærere testatæ sunt, postulantes ut hæc veritas tamquam de fide ab apostolica Sede tandem definiretur. Concilia XVI et XV sæculi privilegium Deiparæ vindicantia, decretum Sixti IV servari præscripserunt, et iisdem temporibus quinquaginta universitates et amplius in omnibus christiani orbis partibus, solemniter huic sententiæ adhæserunt, quarum plures, ut universitas Parisiensis, anno 1496, statuerunt « ut nemo deinceps sacro huic nostro collegio adscribatur, nisi se hujus religiosæ doctrinæ assertorem strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum juramento profiteatur. »

Anno 1222, concilium Oxoniense, ad commendandam devotionem erga Immaculatam Conceptionem B. M. V., commemorat festum hujus mysterii, a S. Anselmo institutum, jam ab eo tempore in tota provincia Cantuariensi celebrari. Legitur in actis concilii Francofortiensis, 794: « Sed et hoc volumus a vobis audire, an Adam, primus humani generis pater, qui de terra virgine natus est, liber esset conditus, sive servus. Si servus, quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare et Christus quoque non ingenuus ex Virgine? Meliore quidem terra, etiam animata et

immaculata, spiritu Sancto operante, factus est homo. » Secundum concilium Nicænum, generale septimum, probavit epistolam synodicam Theodori, patriarchæ Hierosolymitani, in qua scripserat: « Quæ vere Dei Mater est, et ante partum et post partum Virgo, atque omnis intelligibilis ac sensibilis naturæ gloria et claritate creata sublimior. » Quomodo autem creata fuit gloria et claritate sublimior ipsis intelligibilibus naturis, id est angelis, si labe originali in sua Conceptione seu creatione fuit fœdata? Tertium concilium Constantinopolitanum, generale sextum 680, probaverat aliam epistolam synodicam S. Sophronii item patriarchæ Hierosolymitani profitentis Filium Dei incarnatum fuisse in sinu « Mariæ sanctæ, honestæ et divinæ, et ab omni inquinamento liberæ. » Ille est Sophronius cujus sermo, in quo extollitur perfecta sanctitas beatæ Virginis, in novo officio Immaculatæ Conceptionis fuit insertus. Concilium Lateranense, sub Martino I congregatum, anno 649, Matrem Christi appellat « sanctam semperque Virginem, et Immaculatam. »

Exstant innumeri textus scriptorum horumæ temporum qui celebrant perfectam Deiparæ, sanctitatem et etiam expresse affirmant ejus Conceptionem fuisse ab omni labe immunem. Cum impossibile sit nequidem eorum nomina hic inscribere, vice omnium loquatur noster Doctor Angelicus, qui dicit, *In I Sentent.*, dist. 44, q. 1, a. 3, ad 3: « Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum reperiri quo nihil purius esse potuit in rebus creatis, si nulla contagione peccati infectum sit. Et talis fuit puritas beatæ Virginis, quæ a peccato originali et actuali immunis fuit. » Expendemus infra an textus contrarii qui eidem Doctori attributi fuerunt sint genuini.

Angustia loci constricti, quædam tantum testimonia Patrum referemus, et præsertim antiquiora. S. Augustinus, *de Natura et gratia*, c. 36, n. 42: « Excepta sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem: unde enim scimus quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vin-

cendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum? hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus?... Nonne una voce clamassent: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est?* » Propter maternitatem divinam, Maria vicit omni ex parte peccatum. Ergo et peccatum originale. Juliano Pelagiano ipsi objectanti contra peccatum originale, lib. IV *Operis imperf. contra Julian.*, c. 122: « Tu ipsam Mariam diabolo nascendi conditione transcribis; » respondet idem Doctor: « Non transcribimus diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo quia ipsa conditio solvitur gratia renascendi. » Unde Maria, ut Adam filia secundum carnem, habebat quidem debitum originale peccatum contrahendi; sed, propter dignitatem futuræ maternitatis divinæ, fuit ab hoc debito soluta « gratia renascendi. » S. Ambrosius, in *Ps. cxviii*: « Ad hunc paradisum serpenti aditus non patuit. O sanctissima, quæ principatus et potestates fefellisti, immaculata conservata in Dei sponsam! » S. Hieronymus, vel alius hujus temporis qui sub nomine S. Doctoris reliquit commentarios in Psalmos, explicans hunc locum *Ps. lxxvii, 14: Et deduxit eos in nube diei*, dicit de Virgine Maria: « Nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce. » Sophronius, Hieronymo coævus, *Hom. in Assumpt.*: Maria « ideo immaculata, quia in nullo corrupta. » S. Joannes Chrysost., *Sermo apud Metaphrasten*: « Quidnam illa [Maria] sanctius? Non prophetæ, non apostoli, non martyres, non patriarchæ, non angeli, non throni, non dominationes, non seraphim, non cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles aut invisibiles, majus aut excellentius inveniri potest. » S. Ephrem, in *Orat. ad B. V.*: « O Virgo Domina, Immaculata Deipara, ... honorabilis magis quam cherubim, et sine ulla comparatione magis quam cælestes exercitus multo pretiosior! » Origenes, *In cap. i Matth.*: « Hujus Unigeniti Dei dicitur hæc Mater, Virgo Maria, digna Dei, immaculata Sancti immaculati,

una unius, unica unici... Virgo neque persuasione serpentis decepta est, neque ejus afflatibus venenosis infecta. » S. Hippolytus Portuensis, in *Biblioth. Patrum* [Gallandi: « Arca ex lignis quæ putrescere non poterant erat ipse Salvator. Per hanc enim putredinis et corruptionis expers ejus Tabernaculum significatur, quod nullam peccati putredinem genuit. » In Epistola presbyterorum et diaconorum Achaïæ de martyrio S. Andreae, apud Surium, die 30 nov., legitur Andreae Egeo proconsuli, inter plura, dixisse: « Propterea quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo, necesse erat ut ex Immaculata Virgine nasceretur perfectus Homo. »

Sexcenta alia testimonia prætermittere cogimur, quæ conglomerata fuerunt præcipue a Passaglia, *De Imm. Deiparæ semper Virginis Conceptu commentarius*; ab Ant. Ballerini, *Sylloge monumentorum ad mysterium Concept. Imm. Virginis Deiparæ illustrandum*; ab Em. Card. Goussset, *La croyance de l'Eglise touchant l'Immaculée Conception de la B. Vierge Marie*.

4^o *Probatur* ratione. Cum beata Virgo, ut seminaliter propagata ab Adam, in quo omnes peccaverunt, habuerit debitum contrahendi peccatum originale, a quo non fuit præservata nisi « intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, » non alia ratione theologica probari potest eam fuisse hoc singulari privilegio donandam, quam ratione congruentiæ. Hoc argumentum validissimum est, si demonstretur quod contrarium non decuisset neque tres personas divinas singulatim consideratas, neque ipsam Deiparam.

Atqui ita esse facile demonstratur.

Non decebat Patrem. Vi decreti æterni quo fuit statuta futura Verbi incarnatio, Pater elegit fœminam quæ temporaliter generaret secundum humanam naturam quem æternaliter generat ipse secundum naturam divinam; ita ut dispensatione sacramenti absconditi a sæculis in Deo, *Ephes.*, iii, 9, eadem persona fieret Filius communis Dei Patris et Mariæ. Atqui Deus Pater, cujus natura est sanctitas, ad tale consortium admittere non poterat creaturam

quæ non fuisset sancta, si non per essentiam, saltem ex gratia et privilegio, et in altiori gradu cujus est capax creatura : et hæc sanctitas necessario includit immunitatem, non tantum ab omni peccato actuali, sed etiam ab originali labe. Ergo.

Non decebat Filium. Verbum divinum non vere factus est homo, nisi veram carnem humanam sumpsit, id est carnem ab Adam originem trahentem et ei a Matre communicatam, quamvis modus hujus communicationis fuerit singularis et leges communes generationis humanæ excedens. Unde S. Bernardus, cum Augustino et cæteris Patribus concinens, affirmare non dubitat, *Hom. 4 super Missus est*, n. 4, Spiritum sanctum, ut Filio Dei corpus efformaret, « de portiuncula ejusdem [Mariæ] corporis et de ejus substantia reliquæ massæ umbraculum fecisse. » Atqui, cum Filius Dei homo factus non desierit esse *splendor gloriæ et figura substantiæ* Patris, *Hebr.*, 1, 3, et quamvis peccatores redempturus venerat, debuerit esse *segregatus a peccatoribus*, *ibid.*, VII, 26, sanctitate divinitati essentialiter inhærenti, indecorum et probrosum ei esset, si caro ex qua propriam carnem sumpsit fuisset prius labe originali coinquinata. Ergo, ut dicitur in bulla definitionis, « prorsus decebat ut, sicut Unigenitus in cælis Patrem habuit quem seraphim ter Sanctum extollunt, ita Matrem haberet in terris quæ nitore sanctitatis nunquam caruerit. »

Non decebat Spiritum sanctum. Per incarnationem divinam Maria vere Spiritus sancti sponsa effecta est. Angelus enim dixit ei, *Luc.*, 1, 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque id quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* « Quod est dicere, ait S. Bernardus, *ibid.* : Quoniam non de homine, sed de Spiritu sancto concipies. » Atqui incredibile est Spiritum sanctum in sponsam eligere et sibi unire potuisse feminam non undequaque et semper illibatam, quæ innocens prorsus et sancta non fuisset. Ergo. Et ita verificantur hæc verba a Spiritu sancto dictata et ab Ecclesia beatæ Deiparæ applicata, *Cantic.*, IV, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.*

Tria hæc argumenta ita summatim a S. Anselmo expouuntur, *de Conceptu virginali*, c. 18 : « Decens erat ut ea puritate qua major sub Deo nequit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, et de qua Spiritus sanctus volebat et operaturus erat ut conciperetur et nasceretur illud de quo ipse procedebat. »

Non decebat ipsam Deiparam. Futura redemptoris mater electa fuerat ab æterno ut generis humani pro sua parte reparatrix, quæ ideo serpentis caput contritura erat, *Gen.*, III, 15, per quod plena ei promittitur de diabolo victoria. « Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ ? » inquit S. Bernardus, *Hom. 2 super Missus est*, n. 4. Atqui serpentis caput certe non contrivisset Maria, et plenam ab eo victoriam non reportasset, si serpens saltem per originale peccatum uno tantum instanti eam sub potestate sua tenuisset, et gloriari posset se, quamvis ab ea postmodum victum, ejus tamen fuisse primo victorem : quod evidenter, sicut Mariæ sanctitatem, ita ejus gloriam offuscaret. Ergo. Unde constanter a SS. Patribus Maria, ut altera Eva, antiquæ Evæ opponitur, quia loco prioris facta est mater viventium per gratiam Salvatoris. Atqui Eva prior condita fuerat innocens et immaculata. Ergo novam pariter innocentem et immaculatam concipi summa decencia exigebat.

ARTICULUS IV

Utrum S. Thomas negaverit beatam Virginem Deiparam fuisse a peccato originali immunem ?

Dico : Non potest affirmari S. Thomam magnum illud Matris Dei privilegium unquam negavisse.

Probatur 1º præsumptionibus. 1º Doctor Angelicus ratione

eximia probavit convenientiam incarnationis Verbi Dei, 3^a p., q. 1, a. 1, o. Porro, ut demonstratum est art. præc., maxime congruebat incarnationi divinæ ut Deipara fuerit in conceptione sua prorsus immunis a labe originali. Mirum ergo esset, si tantus Doctor hanc convenientiam non tantum non percepisset, sed etiam impugnasset, ut contenderunt adversarii.

2^o Jam ante tempus quo floruit S. Thomas, festum Conceptionis celebrabatur in Oriente fere ab exordio Ecclesiæ, et in pluribus occidentalibus ecclesiis a ducentis annis, Sede apostolica sciente et non contradicente, ut supra probavimus. Porro Doctor noster ita de Nativitate Deiparæ ratiocinatur, 3^a p., q. 27, a. 1, in arg. *Sed contra*: « Ecclesia celebrat Nativitatem beatæ Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo sancto. Ergo beata Virgo in ipsa sua Nativitate fuit sancta. » Quomodo supponi potest eum admisisse, etiam implicite, quod Ecclesia Romana tolerasset celebrationem festi cujus error tam gravis fuisset unicum fundamentum?

3^o Doctrina quæ tenet Deiparam fuisse in sua Conceptione immaculatam ad traditionem familiæ Prædicatorum pertinebat. S. Dominicus, hujus Ordinis fundator, eam aperte professus fuerat in libro contra Albigenses scripto, qui, hæreticis miraculum petentibus ut divinitus confirmarentur omnia quæ continebat, in ignem projectus fuit eis adstantibus, et remansit illæsus. Porro in hoc libro legebatur hoc testimonium S. Andreae apostoli ex relatione ejus martyrii extractum, quod jam supra retulimus: « Propterea quod ex immaculata Virgine nasceretur perfectus homo. » Hoc factum insigne quod insculptum fuerat in antiqua tabula quæ diu fuit conservata in urbe Barcinonensi, consignatum est in *Armamentario Seraphico pro tuendo titulo Immaculatæ Conceptionis B. M. V.*, novissime assertum est et probatum a Card. Lambruschini in *Dissertatione polemica* in favorem hujus veritatis edita. Post S. Dominicum, qui anno 1121 vita functus est, nullus scriptor citatur inter filios ejus qui privilegium Deiparæ negaverit ante annum 1387, quo Joannes de

Montesono plures propositiones huic immunitati gloriosæ contrarias vulgavit. Et hujus authoris audacia tam graviter pias aures offendit, ut Universitas Parisiensis contra eum judicium protulerit, et mandato regio obtemperantes, Dominicani Parisienses publice prædictas propositiones rejecerunt et damnarunt, festumque Conceptionis B. M. V. solemniter celebrarunt¹. Insuper, ut ex statuto Facultatis Theologiæ Parisiensis 3 martii 1496 patet, Universitas ejusdem urbis immunitatem Mariæ a peccato originali profitebatur antequam Joannes de Montesono eam impugnet, et certum est eam non aliter sensisse cum S. Thomas, inter ejus doctores eminentissimus, *Sententias* Magistri summa cum laude interpretabatur. Porro incredibile est Angelicum respuisse doctrinam sui Patris Dominici, quam etiam ut partem eximiam sui patrimonii habebat celebris Universitas in qua, primum lauream doctoris consecutus, magisterium postea exercuit. Et revera eam tenuit et docuit, ut mox demonstrabitur ex ejus in *Sententias* commentario.

Probatur 2^o textibus ipsius Angelici. Adversarii Immaculatæ Conceptionis gloriabantur sibi S. Thomam suffragari, et quosdam textus hujus Doctoris ostentabant quibus

1. « Anno 1387, cum Joannes de Montesono, doctor theologus ex ordine Prædicatorum, in publicis lectionibus quatuordecim propositiones propugnasset (eas videre licet in Appendice ad tom. I Operum Gersonis ultimæ edit., pag. 693 et 694), quarum quædam erat, B. Virginem in originali labe esse conceptam, adversus eas Universitatis prodiit judicium, quod etiam Petrus de Ordeomonte, episcopus Parisiensis et in hac re judex ordinarius, confirmavit. Ad Clementem VII, cui quidam in schismate Cardinales favebant, et aliquot provinciæ, atque Avenio, ubi ille sedem habebat, tamquam vero Pontifici obediebant, appellavit de Montesono, atque eo se contulit, ut propositiones suas defenderet. Sed causa se casurum prospiciens, judicium declinare maluit, atque Avenione elapsus est. Id vero causæ fuit quamobrem tamquam contumaciæ reus haberetur, desertusque ab omnibus est qui ejus partes secuti palinodiam publice recantant. » Bened. XIV, *De festis B. M. V.*, c. 15, *De festo Concept. B. V.*, n. 6.

eorum sententia fulciri videbatur. Hos vero textus non esse genuinos, sed supposititios, facile demonstratur.

Primo loco venit quod S. Thomas dicit in *I Sentent.*, dist. 44, q. 1, a. 3, ad 3 : « Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum reperiri quo nihil purius esse potuit in rebus creatis, si nulla contagione peccati infectum sit. Et talis fuit puritas beatæ Virginis, quæ a peccato originali et actuali immunis fuit. » Advertendum est quod S. Thomas, dum hæc scribebat, munus magistri exercebat in Universitate Parisiensi, cujus doctrinam his verbis exprimebat. Hoc legitur in antiquis editionibus, inter quas præcipue notandæ sunt Lugdunensis, anni 1520, a Lamberto Campensi revisa, et Romana, anni 1570, jussu S. Pii V publicata, et ut in titulo notatur, « ad probatissimos codices collata. » Anno 1388, quinquagesimo circiter ante artis typographicæ inventionem, Petrus Alliacus hoc testimonium invocabat contra Joannem de Montesono, in scripto nomine Universitatis Parisiensis Clementi VII, Papæ Avinionensi, oblato. Hunc textum nullus editor ausus est corrumpere et interpolare, sed quia adversariis Immaculatæ Conceptionis opponi poterat, Cosmas Morellus illum e sua editione Antverpiensi expunxit, et hanc suppressionem Catharinus et Theophilus Raynaudus notarunt et graviter improbarunt. Ille ergo locus ut indubie authenticus habetur.

Est alius locus insignis in Opuseulo LX, *De dilectione Christi et proximi*. In fine hujus tractatus, explicat S. Doctor, secundum S. Bernardum, decem gradus amoris Dei. In nono gradu ponit Seraphim, qui culmen hierarchiæ cœlestis tenent. « Hi, inquit, scilicet suaviter ardentes, in hoc nono gradu sunt Seraphim, in proximo cognationis gradu attinentes, de quibus dicit Dionysius : « Seraphim est calidum, fervidum et superfervidum. Hæc » est visio magna, ardor sine pœna, suavis, non gravis ; ita » ut Moyses miraretur quod rubus arderet et non combure- » retur. » Cum sit decimus gradus, in eo ponenda est aliqua creatura Seraphim, id est cuilibet alteri creaturæ superior,

et hæc est beatissima Deipara. Unde ait : « Gradus ergo decimus in quo amor facit assimilari totaliter ultra Seraphim, est qui tam similatur excellenter, utpote quibus in summo convenit angeli diffinitio quam ponit Dionysius : « Angelus est imago Dei, manifestatio oeculti luminis, speculum clarum, clarissimum, immaculatum, incoquinatum, incontaminatum, totam, si conveniens » est dicere, suscipiens in se pulchritudinem omniformis » deformitatis, munde resplendere faciens in se bonitatem » silentii. » Fecit ergo summus artifex, in ostentationem pleniorum artis suæ, speculum unum clarissimo clarius, Seraphim tersius et purius, et tantæ puritatis, ut purius intelligi non posset, nisi Deus esset, personam scilicet gloriosissimæ Virginis. De quo Anselmus : « Decebat ut » illius conceptio Homini de Matre purissima fieret, ea puritate qua major sub Deo nequit intelligi. » Quomodo clarius affirmari posset Matrem Dei fuisse prorsus immunem ab originali peccato ? « Angelus est speculum clarum, clarissimum, immaculatum, incoquinatum, incontaminatum. » Atqui beata Virgo est « speculum clarissimo clarius, » sanctitate sua Seraphim superans, « ita pura ut purior intelligi non possit, nisi Deus ; » quod certe affirmare non liceret, si labe communi in origine sua uno tantum instanti contaminata fuisset. Ergo. — Non citatur aliqua editio ubi textus supradictus fuerit corruptus. Admittendus est ergo ab omnibus ut authenticus.

Sunt in editionibus modernis operum S. Thomæ alii textus prædictis contrarii. Qui eos allegabant ad convellendum doctrinam quæ nunc tamquam revelata et de fide tenenda est, dicebant Angelicum vel sibi contradixisse, vel deseruisse priorem suam sententiam, quam non satis esse fundatam tandem agnoverat. Mirum quidem esset tantum Doctorem in contradictionem tam evidentem inscium incidisse. Quamvis autem illi indecorum non fuisset opinionem pristinam reliquisse propter rationes validas quas primum non perceperat, hæc explicatio corrui, si probetur loca quæ contra doctrinam Immaculatæ Conceptionis invocantur consulto adulterata fuisse, ut S. Thomæ calculus

purissimæ origini Mariæ detraheretur. Porro id ex sequentibus manifestum fiet.

1^o Legebatur in Opusculo VIII, *Expositio super salutatione angelica* : « Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum aliquando incurrit. » Hic textus citatur a Salmerone, *In Epist. ad Rom.*, disp. 5, et a Canisio. Erat in manuscripto monasterii Præmonstratensis et in alio qui in bibliotheca regia Parisiensi inscriptum, erat sub numero 690. Prædicta verba reperiuntur in quinque manuscriptis quæ exstant hodie Parisiis : primum, in bibliotheca sanctæ Genovefæ, n^o 676 ; secundum, in bibliotheca nationali, n^o 233, olim in bibliotheca abbatiæ sancti Victoris ; tertium et quartum in eadem bibliotheca, n^{is} 426 et 66 ; quintum in bibliotheca dicta de l'Arsenal, n^o 581. Tria priora ad XIII sæculum pertinent, et S. Thomas anno 1274 vita functus est. Habenda sunt ergo ut authentica et omni fide digna, ut demonstratur ab Ehardo in *Scriptor. ord. PP. Prædicator.*, tom. I, p. 334 et 340, et a P. de Rubeis, *De gestis et scriptis ac doctrina S. Thomæ*, Venet., 1750, p. 82.

In editionibus Parisiensi, Antverpiensi, Coloniensi, etiam Veneta anni 1776 et Romana jussu S. Pii V publicata, vox *originale* deest in loco supradicto, et etiam paulo ante affirmatur, beatam Virginem in peccato originali conceptam fuisse. Quo fine et quam temerarie hoc scriptum Doctoris nostri fuerit truncatum et interpolatum perspicietur, si serio examini subiciatur textus hodiernus, quem transcribimus, relictis partibus non necessariis.

« Salutavit [Angelus] beatam Virginem, reverenter dicens : *Ave*. Quod autem antiquitus non reverebatur hominem angelus, sed homo angelum, ratio est quia angelus erat major homine, et hoc quantum ad tria : Primo, quantum ad dignitatem. Ratio est : nam angelus est naturæ spiritualis... Secundo, quantum ad familiaritatem ad Deum... Tertio præeminebat propter plenitudinem splendoris gratiæ divinæ ; angeli enim participant ipsum lumen divinum in summa plenitudine... Non ergo

decens erat ut homini reverentiam exhiberet, quousque aliquis inveniretur in humana natura qui in his tribus excederet angelos. Et hæc fuit beata Virgo. Et ideo, ad designandum quod in his tribus excedebat eum, voluit ei angelus reverentiam exhibere. Unde dixit : *Ave*. Unde beata Virgo excessit angelos in his tribus. Et primo in plenitudine gratiæ, quæ magis est in beata Virgine quam in aliquo angelo. Et ideo, ad insinuandum hoc, angelus ei reverentiam exhibuit, dicens : *Gratia plena*, quasi diceret : « Ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis » in plenitudine gratiæ. » Dicitur autem beata Virgo plena gratia, quantum ad tria. Primo, quantum ad animam, in qua habuit omnem plenitudinem gratiæ. Nam gratia Dei datur ad duo, scilicet ad bonum operandum, et ad vitandum malum, et quantum ad ista duo perfectissimam gratiam habuit beata Virgo. Nam ipsa omne peccatum vitavit magis quam aliquis sanctus post Christum. Peccatum enim aut est originale, ET DE ISTO FUIT MUNDATA IN UTERO ; aut mortale, aut veniale, et de istis libera fuit. Unde *Cantic.*, iv, 7 : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. Augustinus, in libro *de Natura et Gratia* : « Excepta sancta Virgine Maria, si omnes sancti et » sanctæ, cum hic viverent, interrogati fuissent utrum sine » peccato essent, omnes una voce clamassent : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et » veritas in nobis non est* : excepta, inquam, hac sancta Virgine, de qua, propter honorem Domini, cum de peccato » agitur, nullam prorsus volo questionem habere. » Scimus enim quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad peccatum omni ex parte vincendum, quæ illum concipere et parere meruit quem constat nullum habuisse peccatum. SED CHRISTUS EXCELLIT BEATAM VIRGINEM IN HOC QUOD SINE ORIGINALI CONCEPTUS ET NATUS EST, BEATA AUTEM VIRGO IN ORIGINALI EST CONCEPTA, SED NON NATA... Tertio excedit angelos quantum ad puritatem, quia beata Virgo non solum pura erat in se, sed etiam procuravit puritatem aliis. Ipsa enim purissima fuit, et quantum ad culpam, quia ipsa Virgo NEC